

Turcis exclusive omnes Franciscanis obtigisse primaeva fundatione seu institutione.

Etenim, in Bosna et Hercegovina tempore independentiae sub regibus nationalibus ante regni interitum primum et praecipuum, ne dicamus exclusivum, titulum acquisitio-
nis parochiarum invenimus fuisse fundationem et erectionem ab ipsis fratribus de auctoritate Romanorum Pontifi-
cum. Documenta conservata, quae vidimus, omnia de talibus fundationibus et erectionibus loquuntur, solummodo ali-
qua ipsorum interpretari possunt de jam formatarum paro-
chiarum donatione Franciscanis.⁵⁹ Item, etsi de prescrip-
tionis et privilegii titulo (excepta toties repetita auctorisa-
tione curam pastoralem gerendi, domos ac monasteria eri-
gendi) expressa testimonia non prostent, ex hoc tamen si-
lentio etiam hujusmodi modum acquisitionis parochiarum
huic inde fieri potuisse negare non possumus.

Ab interitu regni post illam barbaricam devastationem Turcarum Franciscani soli in Bosna et Hercegovina remanentes denuo parochias fundabant et erigebant ita ut a-
modo nullum presbyterum saecularem ut verum parochum invenire potuerimus, sed econtra omnes relationes ad S. Se-
dem loquuntur de solis Franciscanis qua omnium paro-
chiarum possessoribus de quibus Cardinalis Pastricius non du-
bitavit affirmare ab ipsis esse fundatas et erectas.

Tempore regiminis Vicariorum Apostolicorum pertra-
ctavimus totum processum erectionis et fundationis paro-
chiarum usque ad hierarchiae ordinariae instaurationem, ex
quo liquet parochias non expensis Vicariorum Apostolicorum,
nec subventione S. Congregationis (quae alias suam
auctoritatem et protectionem in franciscanorum defensione
intromittere numquam omisit) sed emendicatis eleemosy-
nis, parsimonia fratrum, succursu conventuum, atque alacri
adjutorio in parva quantitate parochiae omnes erant fun-

incorporatione, simplici nempe transformatione beneficij saecularis in regu-
lare, absque alio aliquo actu juridico, opus est licentia S. Sedis; omnes vero
alii modi per se sequuntur ex fundamento normarum generalium, quas le-
gislator ecclesiasticus recepit».

⁵⁹ Cfr. Supra p. 40 ss., 49 ss.